

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

AD FUNUS

*VIRI-JUVENIS PROSAPIA, ERUDITIONE VARIA,
MORIBUSQVE PEROVAM CONSPICUI*

DN. JOHANNIS
JEBSENI,

SUNDERBURGO-HOLSATI
PHIL. AC SS. THEOL. CULTORIS
INDEFESSI

horâ III. cohonestandum

PROCERES CIVESQVE ACADEMICOS
officiosè ac peramanter
invitat.

Loc. Theol.
Tom. IX.
p. 816.

Lib. de Spiritu
& literâ c. 24.

INter argumenta, mortem maturiorem præ fera exoptandam svadentia, vel primicerium illud videri potest, quòd à nebulosa rerum divinarum cognitione ad clariorem citius sic provehamur. Nam præsens est imperfectum, perfectum & plusquamperfectum est futurum, vel, uti Gerhardus Theologus Lutheranorum χαλεκότερον ex eodem Grammaticorum foro loquitur, *omnis noster in θεογνωσία καὶ θεοσοφία profectus in hac vita, etiam cum ad summum pervenit gradum, est VERBUM DEFECTIVUM, cujus clausula est, CÆTERA DESIDERANTUR.* Cùm enim Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, æternam Filii DEI genituram, Spiritus S. processione, mysteriaqve cætera minimè omnium jam penetremus, tùm plenè ac planè cognoscemus omnia, speculoq; adeò & ænigmate sublato DEUM ipsum à facie ad faciem intuebimur. Scientiam eqvidem abolitum iri in vita altera, Apostolus θεοδιδαν] & innuit. Sed verò de gradu scientiæ imperfectiori, non de scientia ipsa illum loqui, nemo temerè abnuet, nisi qui felicitatem summam cum extrema infelicitate, qvale quidem rerum divinarum ignorantia est, consistere posse asserat. Quid? quod Apostolus ipsemet huic objectioni velut occurrens: *Ex parte, inquit, cognoscimus & prophetamus; cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quòd ex parte est.* Quibus verbis facem accensurus Episcopus Hipponensium: *Scientia, ait, quæ evacuat, est illa parvulorum scientia, in qua hic vivitur, quæ ex parte per speculum in ænigmate videtur; propter hanc enim necessaria est prophetia, cùm adhuc præteritis futura succedunt, propter hanc lingue, h.e. multiplicitas significationum, cùm ex alio atq; a'io aliud atq; aliud admonetur, qui nondum æternam lucem perspicuæ veritatis mente purgatissimâ contemplantur. Cùm autem venerit, quod perfectum est, & totum hoc, quod ex parte est, evacuatum fuerit, tunc quod assumptâ carne carni apparuit, ostendet se ipsum dilectoribus suis, tunc erit vita æterna, ut cognoscamus unum verum DEUM, tunc similes ei erimus, quoniam tunc cognoscemus, sicut & cogniti sumus, tunc non docebit unusquisq; civem suum aut fratrem suum dicens, cognosce Dominum; Omnes enim cognoscent eum à minore usque ad majorem eorum. Quæ cum ita sint, non ter & quater, sed millies felix de prædicandus est politissimus doctissimusqve Dn JOHANNES JEBSENIUS, qui, Theologos omnes adhuc superstites veluti prætervectus, ab ænigmatica DEI visione ad intuitivam, quam vocant, maturiùs adspiravit. Nos certè vicem illius tantum abest ut doleamus, ut gratulemur ei potius,*

potius, & quâ ille in conspectu DEI jam fruitur, mysteriorum cœlestium
notitiam sitibundi præstolemur. Cæterum cum in eo jam simus, ut sua Ci-
vi frugi ac diligentissimo iusta persolvamus, de vita Ejus, quantumcunq;
accepimus, pro more apud nos inolito, referemus. Natus est Sunderbur-
gi in Holsatia Anno Ær. Chr. M. DC. LIV. Patrem sortitus Virum prænobi-
lem amplissimumqve ALEXANDRUM JEBSENIUM, Consulem
ejusdem urbis gravissimum, eumqve ex Viro spectatissimo JOHANNE
JEBSENIO, Districtus Sunderburgensis Præfecto, Celsissimiqve Princi-
pis sui Consiliario prognatum, matremqve splendidam sexûs sui gem-
mam, INGEBURGIAM, Viri Nobilissimi atqve Amplissimi,
REINHOLDI LANGII, Consulis apud Flensburgenses me-
ritissimi filiam. A quibus spiritum acceperat, ab iisdem & sumum
educationis fructum, elaboratam morum rectitudinem reportavit. Ab
his enim ad crebrum pietatis exercitiâ manuductus, ab his obeditas
felicis ingenii scintillas bonis literis fuit consecratus. Ac primùm qui-
dem Præceptoribus traditus est privatis, dein Anno LXXII. cum Fratre
REINHOLDO, Juris Stud. qui Lugdunum Batavorum non ita pridem
cum Philuræa hac commutavit, ac illustre, quod apud Nariscos floret,
Ruthenæum ablegatus, ubi tum in literatura elegantiori, tum in Theo-
gnosia non tralatitiè profecit. Nam præter clarissimi nominis Philolo-
gum M. JOH. FRIDERICUM KÖBERUM Ruthenæi jam laudati Re-
ctorem & felicissimum MITTERNACHTII æmulum, & Hospite & Du-
ce usus est Viro pl. Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo M. JOH.
CASPARO ZOPPIO, Dioceseos Geranæ Superintendente, Confisto-
rii Assessore primario, Gymnasii Inspectore & Prof. Publico. Huic
enim non publicè tantùm, Symbolum Apostolicum elucidanti, sed priva-
tissimum quoqve intra larem Seberi dicta Biblica, Catechesin Lutheri
& Formulam Concordiæ illustranti sedulus auscultavit. Literis Acade-
micis initiandus hanc Lipsiam concessit Anno LXXIV. moderante Aca-
demiam NICOLAO CREUSELIO, Phil. & J. U. D. Curia Supremæ &
Facult. Juridicæ Assessore, nec non Academiae Syndico, jam Ordinibus
Beatorum adscripto, & quò cupidior erat solidioris in Theologia peritiæ,
hòc majorem Philosophiæ ac lingvis dabat operam, probissimè quippe
sciens, ad supremum Theologiæ fastigium, quod spe & intentione jam
præceperat, pertingi sine adminiculis hisce non posse. In Philosophia au-
tem ducem elegit Philosophum Almae hujus famigerabilem L. VALEN-
TINUM

Zc 187 OK
TINUM ALBERTI, in Philologia sacra L. JOH. OLEARIUM, Philologum Theologumq; eximium, &, ne hospes in civili historia videretur, L. OTTONIS MENCKENII discursus in Orbem Hornii Politicum Novellasq; publicas doctissimos excepit. Præsidiis hisce instructissimus ad Theologiam toto animo terebatur, & cum caterorum Professorum, tum SCHERZERI maximè, Theologi apud nos primarii, lectiones publicas privatasq; celebrabat; Patriæq; Ecclesiastem aliquando se approbaturus, ad examuffitatum Ecclesiastici Oratoris exemplar se componebat, ad Virum, inquam, pl. Reverendum & Excellentissimum L. JOH. BENEDICTUM CARPZOVIUM. Prof. Publ. & ad D. Thomæ Archi-Diaconum. Huic enim totum se dabat, hujus convictu & hospitio fruebatur, hunc deniq; in Homileticis atq; Hebraicis & admirabatur unicè & sectabatur. Ut enim valetudo non bellissima interdiceret illi hoc studio videretur, à medicamentis tamen & vitâ ad regulas sanitatis compositâ præsidiî quid sibi pollicebatur; nec dubium erat, Eum Patriæ Ecclesiastem Carpzovianum, si fata id sinerent, repræsentraturum. Fieri namq; ut plurimum solet, ut in quo Præceptores suos elaborâsse, & famam excellentiæ consecutos vident discipuli, in eo & ipsi studii ac temporis collocent plurimum, & ut similes illorum evadant, omnibus ingenii viribus & nervis annitantur. Sed spem harum rerum omnem intervertit phtisis, quæ uti signis indubiis sese prodidit jam dudum, ita hoc potissimum anno JEBSENIUM ad mortem usq; labefactavit. Nam etsi & pharmaca & diata districtè observata respiramenti quid corpori infirmo darent, malum tamen, quod altissimas radices egerat semel, tolli omninò non poterat. Conjectus ergò in lectum feralem est JEBSENIUS, & extremis ipsis admotus quàm proximè. Quod persentiscens ille non Communionem tantum per viaticum, sed & antidota mortis præsentissima è sacrarum literarum myrothecio propinari sibi abs Hospite maximè Reverendo L. CARPZOVIO petiit. Cujus voti damnatus, d. IV. Octob. ab ænigmatico rerum Theologicarum crepusculo ad meridianum DEI intuitum feliciter placideq; transit. Reliquit autem emaciati corporis exuvias; quibus ad Conditorium suum deportandis ut honorem ultimum horâ III. exhibeatis, est, quod officiosè & amanter admodum oramus & exoramus. P.P. Lipsiæ d. IX.

Octobr. A. Ær. Chr. M. DC. LXXVI.

LIPSIÆ,
Typis VIDUÆ CHRISTOPHORI UHMANNI.

RECT
 ACADEMIÆ L
 AD FUNUS
 VIRI-JUVENIS PROSAPIA,
 MORIBUSQVE PEROVAN
 DN. JOH
 JEBSE
 SUNDERBURG
 PHIL. AC SS. THEOL
 INDEFES
horâ III. cohonest
 PROCERES CIVESQVE
 officiosè ac pe
 invitat.

